



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Decreta Provinciae Mediolanensis Sv̄b B. Carolo Borromeo, Cardinale
Archiepiscopo, Diuersis temporibus in sex Concilijs, totidemq[ue]
voluminibus edita

Speciano, Cesare

Brixiae, 1603

Tit. XX. De Officio Magistri Chori, & ceremoniarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10553

Prædicta pro capitularibus, etiam locum habeant pro aliorum inferiorum distributionibus.

Cap. XXIII.

Hæc omnis ratio in supputatione, & solutione distributionum Capitularium supra præscripta, pæneq; ibidem proposita: locum etiam habeant in quouis distributionum censu, qui ad mansionarios, sacristas, custodes, aliosve Chori ministros, & inferiores Canonicis, quocunque nomine nuncupatos pertineat.

Itidem ut supra, de eorum ipsorum punctatoribus, Thesaurarijs, caneparijs, aut si quos à capitulari censu, Thesaurario, canepariove, & punctatoribus distinctos habuerint, decretum sit. At loco eorum duorum, qui de Capitulo ad supputationem adhibendi sunt, alij itidem duo, ex ipsis inferioribus Chori ministris, distributionum censum, à Capitulari, Canonicaliue separatè habentibus adhibeantur; ijq; ab iisdem, ad quos census pertinet, eligantur.

DE OFFICIO MAGISTRI CHORI, & cęremoniarum. Tit. XX.

Quæ à magistro cęremoniarum agenda sunt, & quæ suis ordinibus contrauentium pœna.

Cap. I.

CHORI, vel cęremoniarum Magister, siue alio huiusmodi nomine appelletur, qui diuinis officijs celebrandis tanquam magister est, denunciet officium simplex, vel solenne celebrandum.

Quando de Dominica, de festo, vel de feria.

Quæ Antiphonæ, Orationes, Psalmi, Lectiones recitandę, aut canendę.

Quando standum, sedendum, caput submittendum, aut flectendagenua.

Omnes Ecclesię ministros sui officij admoneat.

Adolescentes, vel rudes, quibus Euangelium, Epistola, vel aliquid eius generis pulicè recitandum sit, prius in Sacristia audiat, & erudiat.

Eum omnes audiant; qui non audierint, ab eo, qui Choro præsidet, corripiantur; & si opus erit, ad Episcopum deferantur.

Tabellam in Sacristia figendam conficiat, in qua præscribat quid à singulis Canonicis, vel alijs beneficiatis in singulis horis per hebdomadam, aut etiam per plures dies recitandum, cantandumve sit, qui, quo tempore, et ordine missam celebrare, vel horas dicere, aut alia munera obire debeant.

Qui autem, quod ei in tabella præscriptum fuerit, non fecerit; in quam horam peccarit eius distributiones amittat.

Cui-

Cuique plebi magister ceremoniarum constituatur, à quo ceteri ad formam libri editi ceremonias ediscant.

Cap. I I.

IN vnaquaque plebe Episcopus duos, vnumve saltem Sacerdotem, Ecclesiasticorum rituum vsu peritum, constituere curet, qui alios Sacerdotes, & Clericos ceremoniarum, quæ in Missa, & in diuinis officijs ritè obeundis requiruntur disciplina, instruant diligenter; qua in re libellus de Missæ ceremonijs adhibeatur, qui iam in lucem exijt à bo. me. Cardinale Borromeo Metropolitano.

DE OFFICIO PRÆFECTI
in Choro.

Quæ præfectus Chori præstare debeat, aliter puniendus.

Cap. I.

IN Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesijs, qui Choro præsidet, vigilet diligenter, nè quid prætermittatur in diuini officij institutione, vel progressionem, vel in reliquis, quæ ad probatam chori rationem pertinent, & alijs, quæ communibus, vel proprijs constitutionibus, in diuinis officijs obeundis præscribuntur. Neve absurdè, indecorè, vel præposterè quidquam fiat: si qui suo officio non satis faciant, eos grauius, & amanter obiuret; si non resipuerint, iubeat punctorem in libro illos describere, & ad Episcopum deferre, cui dignas pœnas pendat. Sin ipse in suo munere obeundo negligens fuerit, ab Episcopo, vel ab alio, qui Ecclesia præsit, puniatur.

Quando hoc officio primus illius Ecclesiæ fungatur.

Cap. I I.

SI quæ autem Ecclesia non habet, qui huic muneri nominatim præpositus sit, vel si habet, is non adsit in Choro, præsentis officio fungatur, qui primo Chori loco tunc sedet ex ijs, qui dignitates, aut Canonicatus in eadem Ecclesia obtinent.

Delinquentes magistri quomodo obiurgandi, & puniendi.

Cap. I I I.

SI magister in officio suo deliquerit, à præposito Chori obiuret, & ab Sordinario puniatur pro delicti modo.

Vbi